



MEDITATIONES BREVES, SED APPRI-
ME NECESSARIÆ DE INSTITVTIONE
FVTVRI ECCLESIAE MINISTRI.

I. N. D.

Prolegomena.

§. 1.



T Radituro instructionem futuri ministri Ec-
clesiæ imprimis incumbit, ut, quid per mi-
nistrum Ecclesiæ h. l. intelligatur, distincte
explicet. Sicut enim *ministrare* aliquis pot-
est Ecclesiæ diversis modis: ita quoque Ec-
clesiæ minister non eodem modo dicitur.

§. 2. Olim in primitiva Ecclesia quidam ministrabant
Ecclesiæ, seu sanctis, tanquam Ecclesiæ membris, procurando
& perferendo eleemosynas pro indigentibus: h. m. Paulus
ministravit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, seu sanctis illius Eccle-
siæ. *Rom. XV. 25.* Deinde in Ecclesia primitiva Apostolica,
ministrare dicebantur Ecclesiæ, vel sanctis, tanquam Ecclesiæ
membris, qui se offerebant ad ministerium sanctorum in di-
stributione eleemosynarum, in cura ægrotorum, receptione

A

pere-